



Præfatio ad Lectorem.

Res causæ sunt, ob quas præmonitum Te volui, Lector Benevole: primùm ut ne succenseas, quòd in Historiæ hujus Relationis contextu plano ac simplici scribendi genere usus sum; neque ad tractationem argumenti tam nobilis ulla styli ornamenta adhibui. Illustrius liquidem mihi argumentum hoc visum est, quàm ut adscititiis verborum ornamentis egeret, quibus qui illustrare amplissimum hunc Ordinem cuperet, eorum meritò censeret è numero posset, qui congenitam soli lucem ut augeant, lucernæ lychnum accendunt: magis itaque è dignitate Sodalitii hujus amplissimi me facturum putabam, si submissum ac familiare potiùs scribendi genus sectarer, ut ex ipso hoc neglecto scriptionis cultu nativa tam Illustris instituti majestas tantò clariùs eluceret.

Alterum, quod curam mihi injiciebat, id erat: quod prævidebam fore non paucos, qui parùm appositè factum opinarentur, quod singulas singulorum Ordinis hujus Supremorum icones æri incisas singulis potiùs libri hujus Capitibus præfigere, quàm ad subjectam in ejusdem libri calce eorundem Supremorum vitæ actorumque epitomen adnectere libuit. Sed enim ita fieri ipse libri decor suadebat, ut æquis potiùs quantum res ferebat, intervallis dispersæ insererentur hæ supremorum Ordinis Capitum effigies, quam ut unum velut in cumulum universæ compingerentur.

Postremò denique id sollicitum me reddebat magnopere: ne, si quid fortè erroris, in postremo præsertim Equitum à singulis Ordinis Capitibus sodalitia huic adlectorum Catalogo irrepsisset, id negligentia aut incuria meæ adscriberetur, qui tamen operam in eo omnem conatumque adhibui, ut authores, quemadmodum in aliis ad hunc Ordinem pertinentibus, ita & in hac re quam certissimos sequerer. Et verò in iis, qui à Philippo Bono, Carolo Audace, Maximiliano, Philippo Pulchro, Carolo V. Philippo II. ac Philippo III. in hoc sunt inscripti heroum Torquatorum Collegium, Dux mihi Joannes Jacobus Chiffletius fuit, qui singulorum Aurei Velleris Equitum nomina, gentilitiaque insignia eo Ordine ex ipsis fontibus, Archivis nempe regiis, se accepisse testatur; in iis, qui à Philippo IV. hoc Torque donati sunt, Author item illustris Joannes Baptista Maurice in amplo volumine, cui titulus: *La Blason des Armoiries de tous les Chevaliers de l'Ordre de la Toison d'Or* mihi præluxit. Eorum deinde Equitum, qui sub Carolo II. amplissimo Ordini huic adscripti sunt, Catalogum & Ordinem mihi supplementum magni Dictionarii Historici Ludovici Moreri verbo: *Toison d'Or* suggestit. Qui denique ab hodierna Augustissima Cæsarea Regiâque Catholica Majestate CAROLO VI. hoc sunt honore ornati, eorum ego nomina cum ab iis, qui præsentis creationi eorundem Equitum interfuere, tum ab iis, qui hæc eadem nomina manuscriptis inseruere, accepi. Quoniam tamen evenire, non obstante quantavis sollicitudine & solertia, potuit: ut Equitis fortè cujuscumque nomen vel non debito collocatum Ordine, vel prætermissum penitus esset; hinc etiam atque etiam oratum te cupio, ut si quem fortè errorem hujusmodi contigisset irrepere, eum Tu pro Tua animi judicii que æquitate & benevolentia authori ne imputes, cui nihil æquè ac sinceritas cordi est.

FACULTAS REVERENDI PATRIS
PROVINCIALIS.

EGO infra scriptus, per Provinciam Austriæ Societa-
tis JESU Præpositus Provincialis, potestate mi-
hi facta ab Admodum R. P. nostro Michaële Angelo
Tamburino, Præposito Generali, facultatem concedo,
ut liber, qui inscribitur : *Vellus Aureum Burgundo - Au-*
striacum à quodam ejusdem Societatis, & hujus Provin-
ciæ Sacerdote conscriptus atque ab aliquot ejusdem
Societatis Sacerdotibus lectus & approbatus typis man-
detur. Datum Viennæ 25. Junii Anno 1728.

Joannes Baptista Thullner.